FERDINANDUS ONUPHRIUS
DE KITKI
K I C K I
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS METROPOLITANUS LEOPOLIENSIS
S. C. R. ET APOSTOLICÆ MAIESTATIS ACTUALIS INTIMUS STATUS
CONSILIARIUS.

Univerſo Clero Sæculari & Regulari utriusqué Sexus, nec non Populo Chriſti Fideli Archidiœceſis Noſtræ Leopolienſis Nobis in Chriſto Dilecto Salutem in Domino & Paſtoralem Noſtram Benedictionem.

Benedictus DEUS & Pater Domini Noſtri JESU Chriſti, qui ſecundùm Miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam æternæ ſalutis, & hæreditatis pretioſò Ejusdem Domini Noſtri JESU Chriſti Sanguine reſtitutæ, non intermittit profectò varia & continua Bonitatis ac fidæ promiſſionis argumenta fidelibus ſuis manifeſtare, tùm ita ſuaviter diſponere, ut ejusmodi auxiliò Fides & Spes aſſequendæ ſalutis certior jugiter in nobis augeatur.

Hæc dum Fratres Dilectiſſimi Vobis commemoramus, minimè in abscondito continere recens Gaudium Noſtrum valemus, quin iſtud cum exultatione ſinceris mentibus veſtris propalàm communicemus. Ecce Omnipotens & Miſericors DEUS novum pandit Miraculum, dum in Venerabili Servo ſuo JACOBO STREPA Archiepiſcopo Halicienſi, quondam Diœceſis hujus Paſtore, Virtutum inſignium ſplendore claro, à tempore felicis hinc ſui Obitûs æternis Benedictionibus frui exiſtimato, in continuo à Fideli Populo Cultûs Ejus tractu adusqué comperto, nunc tandem demùm in Facie Eccleſiæ Univerſalis per Os Spiritùs Sancti ad Thronum Magnitudinis Miſericordiæ Suæ novum Advocatum, Patronum, & interceſſorem nobis propoſuit, ac voce vivâ per ſuum in terris Vicarium, tanquam Supremum in Cæleſtibus Myſteriis Arbitrum, PIUM hujus Nominis VI. Pontificem Maximum, Eundem Venerabilem JACOBUM Faſtis Beatorum eſſe adſcriptum publicè die 11. Septembris anni elapſi 1790 in omni Solemnitate denuntiari, declarari & Officiis Propriis à Sede Apoſtolicâ approbatis coli, venerari, tùm preces & Orationes Fidelium ad Viſcera Miſericordiæ Suæ per interceſſionem Ejusdem Beati promoveri, recitariquè benigniſſimè Nobis conceſſit.

Exultate itaqué! Fratres Dilectiſſimi, tum quoqué Omnes & ſinguli Fideles in Chriſto chariſſimi, quòd deſideriorum Veſtrorum tantopere in promotione hujus cultûs expectatorum effectum Divinæ Providentiæ conſiliò maturatum jam ex nunc aſſequamini.

Exultate! quòd Beatus iſte, æquè in terris ùt homo decertans, è medio Veſtri aſſumptus, nunc Coronam Gloriæ in Cælis certò poſſidens, ſpem Nobis relinquat æternæ tandem Gloriæ unà cum Ipſo participes fieri.

Exul-

Exultate! quòd quâ fiduciâ Diœcesis hæc boni Pastoris curâ indefessâ in terris gloriabatur, eadem fidelitate Eundem in Cælis fidum Patronum & Intercessorem Suum securè nanciscatur.

Ut perinde Gaudium Vestrum sit plenum, ad reddendas præprimis DEO Omnipotenti (Qui est gloriosus in Sanctis Suis) gratiarum actiones, & ad contestandam Fidem per Sanctos Suos Gloriam perennem, accingamur, deindê Beatitudini & Sanctitati nuper à Sancta Apostolica Sede promulgatæ servi DEI Jacobi de Strepa, quondam hujus Diœcesis Ordinarii Archiepiscopi, nunc cum Creatore suo æternè feliciter regnantis honorem demus, Ejusqué cara DEO merita in patrocinium Nostrum secundùm Doctrinam ab Ecclesia Romana Catholica in ordinato erga Sanctos cultu institutam promovendis ad DEUM precibus Nostris fiducialiter applicemus.

Quem in finem, quemadmodum publica Ejusdem Beati Jacobi Beatificationis Solemnia in Metropolitana Nostra Ecclesia, ubi Ejus Sacræ Reliquiæ sunt repositæ, celebranda die 16. Octobris anni currentis in animum induximus ita post eadem peracta, in Singulis totius Nostræ Archidiœcesis Ecclesiis Ejusdem Beatificationis Solemnitatem unicuiqué Ecclesiæ suô commodô tempore celebrandam necessariò, ac instituendam fore concedimus, Missamqué & Officium de Beato Jacobo ab Apostolica Sede approbata celebrari & recitari permittimus, atqué Universis & singulis Christi Fidelibus verè contritis & Confessis, itemqué Sacra Communione refectis, ac ad intentionem Sanctæ Matris Ecclesiæ devotas ad DEUM preces fundentibus, qui Ecclesiam, in qua Ejusdem Beatificationis Solemnia celebrabuntur visitaverint, Indulgentiam Quadraginta Dierum benignè in Domino elargimur.

Volumus præterea ut præsentes Litteræ Nostræ Pastorales per DD. Decanos Nostros Foraneos viâ cursoviâ ad unamquamqué sui respectivè Decanatûs Ecclesiam dirigantur, eædemquè Populo ad Divina congregato per Rectores Ecclesiarum consvetô modô ex Ambonis publicentur. Datum Leopoli Die 20. Septembris 1791mo Anno.

FERDINANDUS ARCHIEPISCOPUS.

L. S.

Stanislaus Stocki Canus Metrop. Leop. Suæ Excelleæ Archiepplis Secrius. mpp.